

et singula, que a prefato fratre Petro vel aliquibus aliis de conuentu in mandatis acceperat, prout in procuratorio sibi per ipsum commisso plenius continetur, vlt eadem domina abbatissa ac seriusus intendit et decernit omnino habere reuocatos; eciam quecumque negociorum genera sub procuratorio nomine ex parte abbatisse, procuratoris [o: confessoris] generalis, conuentus monasterii memorati vel quorumcumque aliorum ibidem, quibus prefata domina abbatissa, secundum regule Saluatoris contenta reatrix et domina, fauente Deo, presidet, dictus dominus Steno, substitutus suus aut substituti, substituendus vel substituendi amodo vel inantea procurant vel procurauerant, prope vel remote, in iudiciis vel extra, nullius firmitatis, roboris aut fidei quomodolibet habeantur. Prohibet igitur memorata domina abbatissa, ne idem dominus Steno vel alius seu alij quicumque per ipsum substituti vel forte substituendi de huiusmodi procuracionis officio de cetero se vllatenus intromittant. In cuius reuocacionis destitucionis, deposicionis seu prohibicionis euidentius testimonium duxit eadem reuerenda mater domina presens instrumentum seu litteram sigillo conuentus memorati monasterii impendenti premuniri. Acta sunt hec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu quibus supra in locutorio sororum claustru memorati, presentibus honorabilibus viris domino Daghero Askolphi, rectore ecclesie Haghabyhøgha, domino Magno Benedicti, presbiteris dyocesis Lincopensis, Laurencio Romara, preuisore vel dispensatore commestibilium claustru, ac aliis quam pluribus circa premissa fidedignis.

(Notariats-
märke) Et ego Ragwaldus dictus Basse, clericus dyocesis Lincopensis, publicus auctoritate imperiali notarius, predicti domini Stenonis et substitutorum suorum seu substituendorum reuocacioni, destitucionis, deposicioni, prohibicioni, presentis instrumenti seu littere sigillacioni omnibusque alijs et singulis suprascriptis, dum, sic vt premittitur, fierent et agerentur, vna cum prenotatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri, vidi et audiui, eaque propria manu scripsi et in hanc publicam formam redegii; signo eciam et nomine meis solitis signaui rogatus et requisitus in fidem et euidentis testimonium omnium premissorum.

På ryggen med samtida hand: Reuocatio procuratorum facta per abbatissam monasterij Beate Brigide de Vasteno.

Sigillet bortfallet.

2931.

1402 d. 13 Aug.

Rom.

Påfven Bonifacius IX uppdrager åt ärkebiskopen i Uppsala samt biskoparne i Marsico och Strängnäs att sätta kyrkoherden i Sala kaniken Ingemarus Ingevaldi, som efter den af biskopen i Västerås afsatte domprostén Nicolaus Rosinchaghin af kapitlet valts till domprost därstädes, i besittning af domprosteriet.

Vat. ark. Reg. Lat. 99, fol. 84.

Bonifacius etc:a. Venerabilibus fratribus archiepiscopo Vpsalensi . . et Marsicano ac . . Strenginensi episcopis salutem etc:a. Vite ac morum honestas aliaque

laudabilia probitatis et uirtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Ingemarum Ingeualdi, canonicus prebendatus ecclesie Arosiensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ingemari petitio continebat, quod dilectus filius Nicolaus Rosinchaghin, prepositus dicte ecclesie, per nonnullos annos ab eadem ecclesia, in qua preposituram obtinebat, se absentabat et in eadem prepositura in diuinis minime deseruire curabat, propter quod in ipsa ecclesia diuinus cultus diminuebatur, et, quod deterius erat, in quo etiam loco et in quibus partibus idem Nicolaus degebat, penitus ignorabatur, quapropter ad residentiam personalem in eadem ecclesia commode citari non poterat, venerabilis frater noster Nicolaus, episcopus Arosiensis, dilectorum filiorum capituli ipsius ecclesie accedente consensu, attendens, quod premissa in diminutionem diuini cultus, ut prefertur, et alias in damnum prefate ecclesie uergere dinoscebantur, ac uolens super hoc salubriter prouidere, dictum Nicolaum in domo, quam ipse communiter inhabitabat, et in dicta ecclesia Arosiensis alijsque locis et ecclesijs publicis per trine citationis edictum citari fecerat, ita quod ad ipsius Nicolai notitiam citatio huiusmodi poterat uerisimiliter peruenire, sex mensem(!) spatium, uidelicet duos in prima, duos alios in secunda et reliquos alios duos mensem in tertia citatione huiusmodi, sibi preemptorie assignando, quod ad residentiam personalem sub pena priuationis dicte prepositure rediret, et si, quod abesset, dictus Nicolaus ad residentiam redire non curaret infra terminum antedictum, eundem Nicolaum dicta prepositura sententialiter auctoritate ordinaria priuaret et amoueret realiter ab eadem, prout de iure foret faciendum, quibus citationibus, sic ut premittitur, factis et dicto Nicolao ad residentiam non redeunte, idem episcopus eundem Nicolaum eadem prepositura priuabat et, quantum in eo fuit, amouebat ab eadem, quodque dicti capitulum, cum ad huiusmodi capitulum electio prepositi ipsius ecclesie de antiqua et approbata ac hactenus pacifice obseruata consuetudine pertinebat, uocatis omnibus, qui uoluerunt seu potuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, conuenientes in vnum prefatum Ingemarum in eorum et dicte ecclesie prepositum concorditer elegerunt, ipseque Ingemarum electioni huiusmodi, illius sibi presentato decreto, consensit ac priuationis et electionis predictarum uigore dictam preposituram assecutus illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Ingemarum dubitet electionem et assecutionem huiusmodi ex certis causis uiribus non subsistere, et, sicut accepimus, prepositura predicta adhuc, ut prefertur, uacare noscatur, nos uolentes eidem Ingemaro premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, fraternitati uestre per apostolica scripta mandamus, quatenus uos uel duo aut vnus uestrum per uos uel alium seu alios preposituram predictam, que dignitas curata et electiua ac maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, cuiusque fructus, redditus et prouentus quinquaginta florenorum auri secundum communem estimationem ualorem annum, ut ipse Ingemarum asserit, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentijs suis eidem Ingemaro auctoritate nostra conferre et assignare curetis, non obstantibus, quod idem Ingemarum, ut asserit, canonicatum et prebendam dicte ecclesie ac parrochiam ecclesiam in Sala Arosiensis diocesis, quorum omnium fructus, red-

ditus et prouentus decem marcharum argenti puri secundum predictam extimationem ualorem annum non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim cum predicto Ingemaro, ut predictam preposituram, si illam sibi uigore presentium conferri contigerit, ut prefertur, recipere et vnacum dicta parrochiali ecclesia libere et licite retinere valeat, generalis concilij et quibuscunque alijs constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus supradictis contrarijs nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prouiso quod prepositura et parrochialis ecclesia huiusmodi debitis non fraudetur obsequijs, et animarum cura in eis nullatenus negligatur Datum Rome apud Sanctum Petrum idibus Augusti anno tertio decimo.

N. xxiiiij. de Benevento.

2932.

1402 d. 15 Aug.

Rom.

Påfven Bonifacius IX utnämner kyrkoherden i Berga Tymo Tymonis till innehafvare af ett genom Petrus utnämning till biskop ledigt kanonikat med prebende vid Strängnäs domkyrka.

Vat. ark. Reg. Lat. 101, fol. 63.

Bonifacius etc:a venerabili fratri archiepiscopo Vpsalensi salutem etc:a. Dignum arbitramur etc:a. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura tunc apud sedem apostolicam uacantia et inantea uacatura collationi et dispositioni nostre reseruantes, decreuimus extunc irritum et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Strenginensis, quos venerabilis frater noster Petrus episcopus Strenginensis tempore promotionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Strenginensem tunc vacantem obtinebat, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis eidem de mandato nostro apud dictam sedem impensum uacauerint et uacent ad presens, nullusque preter nos hac uice de ipsis disponere potuit siue possit, reseruatione et decreto obsistentibus supradictis, nos uolentes dilectum filium Tymonem Tymonis, rectorem parrochialis ecclesie in Berga Strenginensis diocesis, qui presbiter est, apud nos de uite ac morum honestate alijsque probitatis et uirtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu fauore prosequi gratioso, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si post diligentem examinationem dictum Tymonem ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus, redditus et prouentus secundum communem extimationem vigintiquatuor florenorum auri de camera, ut ipse Tymo asserit, ualorem annum non excedunt, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentijs suis eidem Tymoni conferas et assignes, non obstantibus, quod idem Tymo, ut asserit, dictam parrochiale ecclesiam, cuius fructus, redditus et prouentus quatuor marcharum argenti puri secundum dictam extimationem ualorem annum non excedunt, nosceris [o: noscitur]